



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1780**

**VD18 90119193**

§. 65. Ferociores Prædicantes ob contumaciam exilio mulctati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)

Sæc. XVII. exilii pœna plectebatur. Intercesserat  
 A. C. 1672. quidem pro reis nomine Sueci Regis  
 Oxenstirnius; ast Cæsar rebelles ac  
 perfidos venia indignos reputabat, cum  
 Catholicos omnino innoxios in Angia  
 & alibi a Protestantibus tam inhumane  
 haberi intelligeret.

## §. LXV.

*Ferociores Prædicantes ob contumaciam exilio multati.*

*Labsanski  
 l. c. p. 45.*

ERANT tamen inter Prædicantes Hungaros non pauci, qui ceteris petulantia ac ferocia clariores, nec levem hanc pœnam subire, nec his literis, ut vocant, reversalibus subscribere voluerunt, audacter professi, malle se mori, quam infami huic scripto nomina sua apponere, tantamque suæ religioni maculam inurere, suisque Fratribus tam acerbum dolorem inferre: nempe *Fratres* vocitabant, qui perduellionis pœnam declinaturi in Transylvaniam, Turcicasque ditiones profugerant: Precabant Judices nec precibus, nec minis, ut hosce contumaces ad sanctorum reducerent; cum autem eorum pertinacia nullo pacto frangi posset, eorumque potissimi de Cæsaris dignitate & justitia palam obloqui non erubescerent, severiori animadversione, aliis  
 Regu

Sæc. XVII.  
A. C 1673.

Regno proscripti, alii in carceres con-  
jecti fuere, illi vero, qui ceteris petu-  
lantiores erant, aut cum Budensi Bassa  
clandestina fovebant consilia, ad Hispa-  
nicas triremes condemnati sunt, ex  
quibus undetriginta Tergestum, ceteri  
Neapolin transmittebantur, ne dein-  
ceps in rebellionis proposito obdurati  
indulta in Regno permanendi libertate  
novos motus concitarent, prout ex  
ipsis hisce Prædicantibus quidam ob  
inhumanam Sacerdotum Catholicorum  
necem Berendiæ captus, id timen-  
dum esse fatebatur, asserens, *de cunctis  
Prædicantibus hucusque in carceres com-  
pactis nil nisi rebelliones, eademque scelera,  
quorum ipse reus esset, expectari posse.*  
Nihilominus plurimum accisæ erant ho-  
rum Præconum vires ac spes, eoquod  
Abaffius Transylvaniæ Princeps acerri-  
mus Calvinistarum vindex præter om-  
nium expectationem, ut referunt non-  
nulli, ad fidem Catholicam reversus  
esset. Tandem vero ad Catholicorum  
Præfulum preces Imperator edictum  
promulgari iussit, vi cuius indubii ju-  
ris Tempa, quæ vel Turcarum, vel  
rebellium armis & violentia Ca-  
tholicis fuere erepta, iisdem resti-  
tuerentur.